



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Cap. XXIII. De admirandis Germaniæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

ARCHI- EPISCOP.		Sedunensis: <i>de Sion en Vallais.</i>	} VIENNENSI	} Imperij
		Geneuensis: <i>Geneue en Suisse.</i>		
EXTRA GERMA- NIAM.		Lebusiensis: <i>Lebus en Brandebourg.</i>	} GNESNENSI	} POLONIÆ
		Caminensis: <i>Camin en Pomeranie.</i>		
		Vratislaviensis: <i>Breslau en Silesie.</i>		

## CAPVT XXIII.

## De admirandis Germania.

**R**HENVS Fluius filios Germanorum probat: si enim spurij, abripiuntur, si puro nati sanguine, nouit sibi commissos infantes in summâ aquâ suspendere. *Iulianus Imperator epist. ad Maximum Philosophum: Nazianzenus & alij.*

In Germaniâ visum est Raphanum æquare puerorum magnitudinem. *Cassiodorus 12. Variarum.*

Item visus hîc aliquando fauus octo pedum longitudine. *Plinius.*

## §. 1. In Heluetiis.

In quodam monte prope Abbatis cellam specus quidam visitur, in quem si quid proieceris, miræ tempestates cieuntur, & exinde similis turbini emicabit procella. *Vadianus in Melam αὐτόμων.*

Prope Glaronam aqua perfrigida multis morbis salutaris. Dicitur oculos perspicaciores reddere, & vetulis adimere surditatem. *Simlerus.*

In Hasiliâ valle prope montem *Englste*, aliis *Enghlen*, non procul à fonte Arolæ Fl. Fonestantùm defluit mensibus Iunio, Iulio, & Augusto, & quidem certis horis duntaxat. In eum autem si quid turpe proieceris hæret aqua ad dies aliquot, quibus elapsis de more euoluitur. *Auctor Chronici Heluetiorum apud Georgium Verherum in admir. aquis Hungar.*

Versus Alpes frustra glaciei, vulgò *Gletscher* feruentissima æstate, etiam soli opposita non dissoluuntur. *Henricus Swizerus in Chronico.*

Ad Lucernam mons Pilati dictus vulgò *Fraemont*, in cuius vertice stagnum, in hoc si de industria quis lapillum iniecerit (neque enim id contingit, si tantùm casu) magnæ concitabuntur in re-

gione tempestates, & aquis tota redundabit. Ad eum venit Vadianus ductus à pastore qui ab eo prius sacramentum exegerat se nihil proiecturum, nam capite multantur qui id tentare ausi fuerint. Accepit insuper ab eodem pastore, vulgari famâ celebrari quotannis hîc apparere Pilatum iudicis specie, sed eos annum viuendo non explere qui eum viderint: nihil est ausus iniicere auctor. *Vadianus in Melam.*

Sed tradit Gretserus, P. Crendelium, venisse ad eum lacum cùm Lucernæ versaretur, multos iniiecisse lapides sine vlllo indicio pluuiæ, aut tempestatis.

### §. 2. In Grisonibus.

AD vicum Plurium *Pleurs* saxa effodiuntur, ex quibus tornantur lebetes ad vsum coquinæ, magni pretij in Italiâ, quia si venenum iniiciatur ebullit illicò ad ignem, & ex lebete exilit. *Iosias Simlerus in Rep. Helueticorum.*

Mons vnde hæc saxa eruuntur aliquando in urbem subiectam ita cecidit, vt totam obtriuert, fluuiumque Pluriam urbem interfecantem in lacum commutarit. *Sprecherus in Pallade Rheticâ.*

In Rhetiâ apud Fauarias fons est aquarum calidarum inter rupes eminentissimas, qui cùm deficiat mense Octobri redit mense Maio, sicque rursus vsque ad Autumnum exuberat vt frumentariam molam versare possit. *Georgius Vernherus de aquis Hungariæ.*

### §. 3. In Valesiis.

AD urbem Leuciam *Leuck*, aquæ etiam leprosis salutares, & multis aliis morbis, sed prægnantes fæminæ si eas ebiberint, aut iis se eluerint, id non sine periculo præstant. *Simlerus.*

Idem & dicitur de aquis ad Brigiam, quas fæminæ prægnantes numquam impunè biberunt, sed fortè eadem cum superioribus. *Auctor lib. de Rebus. & Imperiis.*

Versus Alpium altissima iuga in Valesiis effoditur glacies, quam Solferuentissimus Augusto mense non potest dissoluere. *Iosias Simlerus.*

§. 4. *In Leodiensi agro.*

Apud Tungros (*in Leodiensi agro*) dicunt aquas venenatis aduersari, cuius rei signum, quod si in eas mittantur serpentes intereunt illicò, cùm tamen innoxix sint canibus, & aliis animantibus. *Andreas Baccius de aquis lib. 3. cap. 3.*

In Agro Leodiensi Souenia fons, non procul à castro Francimontio, tertianis est, & hydropi salutaris. *Hubertus Thomas Leodiensis.*

Apud Tungros fons est insignis (*hodie les eaux de Spa*) plurimis bullis stillans ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem igne admoto turbida fit, postmodum rubescit. *Plinius lib. 31. cap. 2. & Dalecampius in hunc locum qui notat perdurare miraculum.*

§. 5. *Sueuia.*

SVNT Mattiaci in Germaniâ fontes calidi trans Rhenum (*hodie peritioribus Baden*) quorum hauustus triduo feruet: circa marginem verò terra in pumicem concrefcit. *Plinius lib. 31. cap. 2.*

Circa Danubij exortum pisces nigri illicò gustantibus mortem afferunt. *Plinius lib. 31. cap. 2. & And. Baccius lib. 1. cap. 9. idem afferit.*

In Sueuiâ lacus, in quem si retia immittantur altiùs (*nam in superficie nihil damni patiuntur*) sic aduruntur, non secus ac si flammâ forent afflata. *Seuerinus Gobelius in suâ historiâ Sueuicâ.*

In Badensibus Thermis fons est aquæ adedò calidæ, vt in ea animalia facilè depilentur: quod tamen non contingit, si hæc animalia furto sublata fuerint, sic *Vadianus in lib. 3. Pomponij Mele.*

Ad Memmingam fluuiolus *Bach*, aliis fluuiis concretis nunquam congelatur. *Indigenæ omnes.*

§. 6. *In Bauaria.*

IN Bauaria fons est in loco dicto *Degernsee*, ex quo quotidie guttæ olei decerpuntur. Putant periti esse Bitumen liquidum,

quod vulgò Petroleum dicimus. *Philander in notis ad 8. l. Vitruuij.*

Regnitijs fluius cùm in Danubium cadit subruber videtur. *Cæsius lib. 1. de Min.*

Ifara fluius vbique cæruleus apparet. *Idem, loco laudato.*

Ilza fluius in Danubium nigras omninò aquas ex montibus Bohæmicis deportat. *Idem Cæsius.*

§. 7. In Regionibus hæreditariis.

IN Danubio ad Austriam capitur ingens piscis, ideóque dictus *Hausen*, hoc est *domus*, sine vlla spinâ. *Auctor lib. de Reb. & Imperiis.*

In Palude Lugeâ, nunc Circonienfi (vulgò *Zirknitz*, seu *Czirknick* in Carniola) res mira quotannis contingit: ea Palus sub finem Autumni impletur aquis, tunc ex terra magno impetu exiientibus, ac deinceps piscibus abundat. Sed primo vere aqua illa euanescit, & exsiccat, solum aratur, semina iaciuntur cum magno prouentu. Capitur autem in eo lacu piscium ingens copia, & Lucij duorum cubitorum, qui dubio procul in voraginibus illis delitescunt, neque enim tam citò possent crescere. *Quot indigenæ totidem testes. Georg. V. vernherus de aquis mirab. Hungaria.*

§. 8. In Regno Bohemiæ.

AD urbem Oegram *Eger*, acidi fontes multis morbis salubres, quare ad eas ex tota Bohemiâ, & Palatinatu Bauarico decurritur. *Paulus Stranskius.*

Non procul ab urbe Oegræ fons acidus, dictus Aqua furiosa, qui ebullit cum tanto fremitu, vt tonitru in terræ visceribus fremere videatur. *Cæsius lib. 2. de Mineralibus.*

In Silesia iuxta montem *Risenberg*, duo lacus vicini aquæ subnigræ, in quorum vno neque pisces, neque vllum animal viuere potest, cùm in alio multæ Troctæ subnigræ capiantur exquisitissimi saporis. *Nicolaus Henelius.*

In Ducatu Lignitio terra eiusdem omnino cum Lemniaca virtutis. *Idem Henelius.*

In Syluis Saxonix (Silesiæ dicere voluit) versùs Daciam duo capta sunt môstra ante nostra tempora (sic loquitur auctor) pilosa, humanam habentia formam; fæmina morsibus canum perit, mas

cicuratus vixit, & didicit rectus ambulare, & impedite loqui exili capreoli voce, atque in faminas petulanter irruerat. *Albertus Magnus.*

In Moravia thus, & myrrha ex humo effodiuntur, quæ membra hominum repræsentant. Nuper inuentus est, & effossus homo integer ex myrrha, cuius partem se vidisse, & eam usum esse in pharmacis tradit *Ioannes Dubravius in sua Bohemica historia.*

§. 9. In Saxoniam inferiore.

AD Goslariam fluuius dictus Ochra, quasi Ocræ succo imbutus, fit lutei coloris, vbi fluuius ex monte Ramelo in eum cecidit. *And. Baccius lib. 1. cap. 14.*

Ad urbem *Hildesheim*, reperitur Ebenus fossilis in metallicis aluminis, sed hæc igne succendi non potest. *Agricola, & Dalecampius.*

Ad eandem urbem duo fontes malè olentes, alter oui putridi virus sapit, alter ab eo mille passibus remotus, odorem pulueris tormentarij. *Agricola lib. 1. de Fossil. & Casius 2. de Miner.*

Ex monte Melibocco (hodie *Blokenberg*, in Ducatu Brunsvicensi) eruitur lapis fossilis, qui picis & aris in se multum continet, in quo etiam apparet auri, & cupri color. In hoc lapide apparent lineamenta diuersorum animalium, sed eorum maximè quæ lacus vicinus alit, videlicet Anguillarum, Carpionum, & Ranarum, interdum etiam Gallorum Gallinaceorum: quodque mirabilis, Pontificis Barbati, & triplici corona redimiti. *Petrus Montanus.*

Ante annos cccxxx. (scribebat Auctor præcipitante sæculo superiore) Hamelium vrbs in Comitatu Schauenburgico, vel vt alij malunt in Ducatu Brunsvicensi, à muribus vehementer infestata est. Circulator in urbem veniens pollicitus est operam suam in muribus abigendis, pactusque cum ciuibus, pulsu tympani omnes eduxit ab vrbe mures: mercedem postulauit: vt magus eiectus est. Anno euoluto rediit in urbem, & eiusdem tympani pulsu multos pueros eduxit ex vrbe in vicinum collem, vbi omnes disparuerunt præter puellam vnicam, quæ in via deficiens, in collem pueros ascendisse dixit; & quæsi nufquam reperti sunt. Dies & annus notati in actis Senatus Hameliensis, & hodie etiam in actis publicis hanc Epocham puerorum abductorum notant. *Arnoldus Fretagius Medicus epist. ad Abrah. Ortelium.*

In Insula Rugia ad promontorium *Stubben-Kamer* in sylua *Stubbenitz* lacus profundissimus, qui licet piscibus scateat, numquam tamen aut retia, aut lintres tulisse dicitur. Immo cum superioribus annis in eum piscatores audaciores scaphâ detulissent, postero die in lacu eam non viderunt, sed impositam procerâ fago. Ad quem aspectum cum eorum vnus hæc protulisset, Quis omnium dæmonum lintrem imposuit arbori, audita vox: non id omnes fecere diaboli, sed solus ego cum fratre meo Nicolao. *Philippus Cluuerius lib. 3. Antiq. German.*

§. 10. In Saxonia superiore.

In Hercynia Sylua (nunc Turingica ex parte dicitur) aues videntur, quarum plumæ noctu lucent ignium instar. Gesnerus putat esse Gracculos dictos Bohæmicos. *Plinius lib. 10. cap. 44.*

In eadem Sylua quam vocat congenitam mundo, ait constare attolli colles occurfantium in se radicum repercussu: aut vbi tellus secuta non sit arcus ad ramos vsque, & ipsos inter se rixantes curuari, portarum patentium modo, vt turmas equitum transmittant. *Idem lib. 16. cap. 18.*

Prope Annebergam fodina argenti, tam foetens vt aliquando mephiti duodecim homines exanimârit. *Cassius lib. 2. de Mineralib.*

Allera fluuius Saxoniae nigerrimas aquas emittit. *Idem.*

In Comitatu Mansfeldiæ lacus est amplissimus, ex quo eruuntur lapides, tam bellè efformati, in ranas & pisces, vt à veris nequeant internosci. *Munsterus in suâ Germaniâ.*

In Marchionatu Brandenburgico iuxta Francofurtum ad Oderam, prope Cœnobium Carthusianorum riuulus ex colle vitifero promanat; in eum quidquid cadit in lapidem conuerti comperitum est. *Volfangus Iopstus.*

§. 11. In Vestphalia.

Ad mare Germanicum fons erat aquæ dulcis solus, quâ potâ intra biennium dentes decidebant. Id experti milites Germanici promotis castris trans Rhenum. Reperta huic morbo antidotum herba dicta Britannica. Putant aliqui in præsentia morbum fuisse *le Scorbut.* *Plinius lib. 25. cap. 5.*

In Mari Germanico capitur piscis, adeò pestifer, ut quicumque illum intuitus erit, illico moriatur. Id vulgò Germani credunt, & asserunt. sed hanc opinionem conuellere nititur, qui vidit illum, atque contrectauit *Vlricus Faber*.

In Vestphaliae parte vbi olim Iuhones, contigit aliquando incendium, quod nullâ aquâ restingui potuit, sed tantum saxis, fustibus, & vestibus oppressum est. *Tacitus Annal. lib. 16.*

## LIBER TERTIVS.

### *De Regnis Arctois, seu de Suecia, Dania, & Noruegia.*



IN ditionem Sueci Regis venisse olim totam Scandiam nemo ambigit, qui eius regni historias primis, ut aiunt labris degustarit; siquidem intelliget ex Suecicâ familiâ Reges Daniæ, & Noruegiæ prodiisse. Quis enim ignorat *Dan* primum Danorum Regem filium *Humeli* fuisse qui 16. in ordine collocatur? Quis nescit *Halदानum Huuithen* originem traxisse à 25. Regibus Suecis, ipsūque quod à *Soluone* quodam Noruegiæ Rege maternum genus duceret, eidem in ditionis dominium successisse, & illud ampliassse, ac demum eius trinepotem *Haraldum Hulfagher*, hîc Monarchiam instituisse? Quomodo autem iterum regna hæc coaluerint nobis est incompertum. Hoc vnum fatentur omnes magnum *Erichsonium* (aliàs *Smeck*) exautoratum esse, eique substitutum *Albertum Megapolitanum* eius ex sorore nepotem, & paulò post eidem *Alberto* *Margaretam* Danicam *Aquini* Noruegiæ Regis vxorem suppositam fuisse, quæ trium regnorum Domina fuit. Sed cum Dani Suecos & Noruegos contemnerent, tandem electus est *Carolus Canuti* filius; sed ab eo Noruegos pollicitationibus suis *Christiernus* primus Rex Daniæ se iunxit, & ita tria Regna duobus principibus cessere; de quibus aliqua enucleatius in singulis dicemus.

CAP.